

AB, tanquam basi, Triangulum planum ABC in spacio mun-
 dano constituatur, cujus verticulis angulus C parallatticus dici-
 tur, eò quod angulo κατὰ νοῦν DCE cui arcus parallaxeos
 subtenditur, æqualis sit. Cæterum intercapedo hæc s. paralla-
 xis non est unius ejusdemq; magnitudinis, sed mutatur partim
 ratione situs ad Horizontem, partim ratione distantia à terrâ.
 Ratione situs ad Horizontem ita mutatur, ut quemadmodum in
 vertice vel polo Horizontis planè evanescit, ita in ipso Horizon-
 te sit maxima, in locis intermediis verò proportionaliter vel ac-
 crescat vel decrescat, prout vel propiùs ad Horizontem accedit,
 vel ab eo longiùs discedit phænomenon. Quod autem circa Ho-
 rizontem maxima sit parallaxis apparet ex habitudine anguli pa-
 rallattici ACB vel DCE, qui circa Horizontem maximus est, mi-
 nor semper in editiore loco. Maximus est inibi locorum, eò
 quod in Triangulo ABC angulus ad B sit in hoc negotio mini-
 mus, h. e. rectus, alibi semper obtusus, adeoq; major. Crescente
 autem angulo ad B decrescere necessariò cogitur angulus ad A &
 C, cum trianguli plani tres anguli eandem semper quantitatem
 obtineant, & simul sumpti duobus rectis perpetuò sint æquales.
 Deinde quò propiùs aliquod phænomenon ad terram accedit,
 eò major etiam sit arcus parallatticus, quò longiùs discedit & ele-
 vatur, eò sit minor. Nam in schemate prædicto cum in triangu-
 lo ACB super eodem latere AB constitutæ fuerint interiùs duæ
 rectæ, erunt hæ duobus reliquis trianguli lateribus minores, an-
 gulum autem continebunt majorem Euclid. 20. I. Constituun-
 tur autem duæ ejusmodi lineæ, quando phænomenon propiùs
 ad terram accedit. Igitur quò propiùs phænomenon, eò major
 angulus parallatticus & contra, quò major angulus eò propiùs
 phænomenon, quò minor eò remotius. Sed de angulo pa-
 rallattico DCE dubium hinc occurrere posset, quomodo paralla-
 xeos quantitati sit æqualis cum tamen ejus mensura non sit arcus
 DE, ut ut enim hic obducatur angulo parallattico, tamen cum
 non sit ex puncto C, sed ex A descriptus, mensuram angulo præ-
 dicto præstare nequit. Deinde ductâ lineæ BE lineâ paralle-
 lâ AL, cum recta AD incidat in parallelas rectas, angulos op-
 positos DCE & DAL sibi invicem æquales faciet. Sed anguli
 DAL mensura non est arcus DE sed DL. Ergo etiam anguli
 DCE.